

non adeat hæreditatem, substitutus adhuc hæreditatem paternam capiat saltem vi tacite vulgaris substitutionis.

577. *Et excludit matrem a successione impuberis.* — Tertius effectus est, quod substitutio pupillaris expressa excludat etiam matrem a successione impuberis intra annos pubertatis decedentis. Covarruvias, *de Testam.* cap. xvi. § 5. n. 20; Schneidew., loc. cit. n. 16; Pirhing, h. t. n. 66; Bartolus, in l. II. ff. *de Vulg.* et communis aliorum, l. Lucius. 45. ff. eod. l. Papinianus. 8. § *Sed nec impuberis.* ff. *de Inoffic. testam.* juncto c. i. h. t. in 6. Dicitur autem notanter, « Pupillaris expressa : » quia pupillaris tacita in vulgari expressa comprehensa matrem non excludit, juxta dicta n. 564.

578. *Enumerantur casus, in quibus substitutio pupillaris expirat.* — Quæritur V. Quandonam expirat substitutio pupillaris? Resp. plures quidem a doctoribus assignari casus, in quibus substitutio pupillaris expirat, ut videre est apud Schneidew., loc. cit.; Bart. et alios; quia tamen plures per se patent, ideo aliquos tantum adducere placet. Et quidem universaliter expirat, quoties testamentum rumpitur, revocatur, aut rescinditur, Tholosan., in *Syntag. Jur.* lib. XLII, cap. xx. n. 2; Hunn., p. 4. tit. XIX; Duaren., in *Comment. tit. de Vulg. et pupill. substit.* cap. xvi. cum communi. Et patet, quia cum non nisi a testamento substituente vim suam habeat hæc substitutio, utique illo deficiente, et hæc deficiet; « Cum cessante causa cesset effectus. »

579. II. Expirat, si proles impubes hæres constitutus venit ad annos pubertatis. Communis ac certa textu claro § pen. *Instit. de Pupill. substit.* ibi: « Si hoc tempus (pubertatis) excesserit, substitutio evanescit. » Concordat, l. XIV. ff. *de Vulg.* Ratio est, quia proles pubes facta, sibi ipsi testamentum facere, et hæredem pro libito instituere potest, l. *A qua ætate.* 5. ff. *Qui testam. facere poss.* III. Si testator brevius tempus, quam pubertatis præfixit, illudque elapsum sit: v. g. Si dicit testator: « Filium hæredem instituo, et si intra decem annos ætatis suæ moriatur, substituo Cajum: » elapsis decem annis, expirat, pupillaris substitutio. Textu expresso l. *Si ita quis.* 21. ff. *de Vulg. et pupill. subst.* ibi: « Si ita quis substituente s. filius meus intra decimum annum decesserit, Seius hæres esto: dein hic ante quatuordecimum, post decimum decesserit, ma-

gis est, ut non possit bonorum possessionem » petere substitutus. Rationem statim subjungit legislator: « Non enim videtur in hunc casum substitutus. » IV. Expirat, si substitutus hæreditatem paternam non adit, l. II. § 1. et l. X. § 4. ff. eod. Et de his nulla est inter doctores controversia, bene vero circa casum, de quo

580. *Etsi expiret substitutio pupillaris expressa per hoc nondum expirat vulgaris tacita.* — Quæritur VI. An expirante ob pubertatem advenientem substitutione pupillari, expiret etiam tacita vulgaris comprehensa in expressa pupillari? Sensum quæsitæ capies ex sequenti casu, quo parens filium impubem hæredem instituit, eique pupillariter substituit Caium, dicendo v. g. « Filium meum hæredem instituo eique, si ante annos pubertatis decedat, Caium substituo: » filius vero post mortem patris pubes vel impubes existens repudiat hæreditatem ejusdem: quæritur jam, an post adventum pubertatis expiret non tantum substitutio pupillaris juxta dicta n. præced., sed etiam tacita vulgaris, ita ut substitutus non tantum a successione bonorum puberis, sed etiam hæreditatis paternæ, quam alias vi tacite substitutionis arripere posset, excludatur.

581. Resp. Quamvis olim opinio affirmativa valde communis fuerit, hodie tamen communior et verior est negativa. Covarruvias, *de Testam.* cap. xvi. § 5, an. 9. ubi conclusionem per undecim rationes et juris fundamenta solide propugnat. solutis argumentis in contrarium adductis. Haunoldus, tract. VII. cap. i. *de Substit. pupill.*, contrav. 4, n. 99; Socinus, Imola, et alii a Covarruvia citati, arg. l. *Jam hoc jure prin.* ff. *de Vulg. et pupill.* Ratio autem desumitur ex præsumpta voluntate testatoris substituente: hoc ipso enim, quod testator in casu, quo filius impubes hæres quidem esset, tamen ut impubes decederet, voluerit tam suam quam pupilli bona ad substitutum venire, l. *Sed si plures.* 10. § *Ad substitutos.* 5. ff. eod. merito præsumitur voluisse, quod si filius satis esse nolit, bona saltem sua paternam nempe ad dictum substitutum devenirent, arg. l. *Hæredes mei.* 57. § 1. ff. *ad S. C. Trebell.*

582. Colliges, quod si filius institutus hæres, post mortem patris, hujus hæreditatem repudiet, substitutus Pupillariter illico capere possit hæreditatem paternam, sive dein filius ut pubes jam, sive impubes repudiet

hæreditatem paternam. Quod si ut impubes adhuc repudiet eandem hæreditatem, et intra annos pubertatis moriatur, substitutus etiam in bonis pupilli defuncti succedet, quia per repudiationem hæreditatis paternæ ab impubere factam, pupillaris substitutio non expirat.

583. *Substitutio exemplaris, quid?* — Quæritur VII. Quid sit substitutio exemplaris, a quo, cui, et quomodo fieri possit? Resp. I. Substitutio exemplaris (sic dicta, quia ad exemplum pupillaris fit, unde et quasi pupillaris dicitur) est; qua parens liberis furiosis, vel mente captis (aut simili modo testari a lege prohibitis) hæredibus institutis, alium hæredem substituit in eventum, quo in tali statu moriantur. Ita in re communis. arg. § 1. *Instit. de Pupill. substit.* et l. *Humanitatis.* 9. c. *de Impub. et aliis substit.*

584. *Potest fieri tam a matre, quam a patre.* — Resp. II. Exemplariter non tantum pater, sed et mater, et quivis ascendentium substituere possunt. Covarruvias, *de Testam.* cap. xvi. § 6. n. 1; Ludwel., p. 2. cap. II; Schneidew., loc. cit. *de Exemplari substit.*; Molina, disp. 185. arg. cit. l. *Humanitatis.* 9. c. *de Impub. et aliis substit.* cum communi aliorum. Ratio est, quia hæc substitutio non fundatur in patris potestate, sed in humanitate et affectu parentum erga liberos, arg. cit. l. IX. c. eod. ibi: « Humanitatis intuitu parentibus indulgemus, » etc., ubi jus, uti patet, non distinguit inter parentes. Et merito, quia eadem censetur in parentibus erga liberos humanitas, pietas, et affectio, l. *Maximum.* 4. c. *de Liber. præterit.*

585. *Potest fieri a furiosis, mente captis, prodigis, mutis ac surdis.* — Resp. III. Substitutio exemplaris, omnibus, et singulis, furiosis, et mente captis, sicut et ob alium corporis defectum testari impeditis, ut puta, mutis, surdis, item et prodigis, sive dein sint puberes, sive impuberes, sive in patria potestate constituti, sive emancipati, fieri potest. De furiosis et mente captis fere conveniunt doctores ob clara jura. De mente captis quidem § 1. *Instit. de Pupill. substit.* ibi: « Si quis mente captos habeant. » et l. IX. c. *de Impub. substit.* ibi: « Si mente captus, vel capta sit. » De furiosis autem l. *Divus Marcus.* 14. ff. *de Offic. præsid.* ubi furiosus mente captus dicitur, et reputatur. De mutis vero, surdis, et prodigis, docet Covarruvias, loc. cit., § 6, n. 1; Molina, disp. 185. n. 1; Hunn., p. 4. tit. XXII.

cap. II. n. 5; Schneidew., loc. cit. n. 4; Gomez, *Variar. resolut.* tom. I. cap. vi. n. 5. et communis aliorum, contra Perez, et alios. arg. l. *Ex facto.* 43. ff. *de Vulg.* Fundamentum desumitur ex identitate rationis fundatæ in humanitate et pietate parentum, juxta dicta n. præced. Ultima pars, videlicet, « Sive sint puberes, sive impuberes, » etc., communiter conceditur, arg. cit. § 1. *Instit. de pupill.* ibi: « Etsi sint puberes, » etc. Ratio autem jam est allegata, videlicet, quod potestas patria in hac substitutione non attendatur.

586. *Quinam substitui possint, ac debeant?* — Resp. IV. In substitutione exemplari, necesse est, ut ordo in personis substituendis servetur, ita videlicet, ut si ille, cui fit substitutio, habeat descendentes, hi necessario debeant substitui: si vero descendentes carens fratres habeat, hi quoque ante alios necessario instituendi sint: si vero nec descendentes, nec fratres illius existunt, quivis extraneus juxta libitum testatoris substitui possit. Communis et certa. Textus expressus conclusionem adhuc clarius explicans est in l. *Humanitatis.* 9. c. *de Impub. et aliis substit.* Concordat, § 1. *Instit. de Pupill. substit.*

587. *Substitutio exemplaris potest varie fieri.* — Cæterum ad substitutionem exemplarem non requiritur certa verborum formula, potestque fieri verbis generalibus, et implicitis sine expressa aliqua furoris, vel amentie mentione, dicendo v. g. « Filium meum hæredem instituo, eique Caium substituo: » Covarruvias, loc. cit., § 6. n. 9; Menochius, lib. IV. præsumpt. 49, n. 5; Zasius, ad l. *Ex facto* ff. *de Vulg.* n. 35; Hunn., loc. cit. cap. iv. et alii. Ratio est, quia hoc ipso, quod furioso vel amenti alius substituatur, præsumitur substitutio exemplaris, casu quo tales substituit, qui de l. IX. c. *de Impub. et aliis substit.* substitui debent. Deinde fieri potest verbis specialibus facta furoris v. g. mentione, ita: « Filio meo furioso, aut amenti Caium substituo: » cujusmodi substitutionem vocat Covarruvias et Menochius, loc. cit. exemplarem specialem. Item fieri potest taliter: « Filium furiosum hæredem instituo, et si hæres erit, atque in furore decesserit, Caium substituo, » quæ substitutio exemplaris singularis a citatis doctoribus vocatur.

588. *Habet eosdem effectus, quos pupillaris.* — Quæritur VIII. Qui sint effectus substitu-

tionis exemplaris? Et quando expiret? Resp. I. Effectus hujus substitutionis esse pene eosdem, cum effectibus substitutionis pupillaris. Ratio est, quia ad exemplum, seu similitudinem hujus introducta, indeque exemplaris, seu quasi exemplaris dicta est, arg. l. *Humanitatis*. 9. c. de *Impub. et aliis substit.* atque dictum est supra. Hinc I. efficit, quod substitutus non tantum bona substituentis testatoris, sed etiam furiosi, vel amentis, cui substituitur, cuncta acquirat, si is in furore, seu amentiae statu discedat. Ludwell., p. 2, cap. II, Schneidew., lib. II. tit. XVI. § de *Exemplari substit.*; Covarr., loc. cit. n. 10; Bartolus, in l. *Ex facto*. 30. ff. de *Vulg.* et communis aliorum arg. cit. § 1. Instit. de *Pupill. substit.* et l. IX. c. de *Impub. et aliis substit.* II. Quod sicut pupillaris, ita et exemplaris continet partem vulgarem; ut proin in casu, quo alius patris hereditatem non adit, sed in furore decedit, nihilominus substitutus capiat bona. Schneidew. et Ludwell., loc. cit.; Zasius, in *Tract. success.* cap. III. cum Bartolo, et communi aliorum.

589. Ita, ut etiam excludat matrem furiosam vel amentis. — Num autem III. per exemplarem substitutionem mater etiam quoad legitimam excludatur a successione in bonis amentis filii, sicut excluditur per pupillarem expressam a successione in bonis impuberis, major est controversia inter doctores. Molina siquidem disp. 183. n. 5; Gomez, tom. I. *Variar. resolut.*, cap. VI. n. 7. Baldus, et Jason negativam tenent, ducti ea ratione, quia imperator hoc ipso, quod in casu, quo existunt fratres amentis, eos præ aliis extraneis substitui velit, censetur id a potiori de matre utpote magis propinqua, velle. Verum opinio affirmativa est communior, juriq; conformior: tum quia exemplaris ad similitudinem pupillaris est introducta, consequenter ejusdem effectus, ubi jus aliud expresse non disponit: tum quia hoc ipso, quod imperator fratres existentes amenti substitui imperet, et matris non recordetur, eam exclusam velle censendus est, « cum exceptio unius firmet regulam in contrariam in casibus non exceptis. » Et ita sentiunt Covarruvias, loc. cit. n. 10; Ludwel., loc. cit.; Bartolus, loc. cit.; Curt. Jun., in cit. l. *Humanitatis*. 9. c. de *Impub. et aliis substit.* ac testibus ipsis adversariis, communis aliorum.

590. Exspirat autem hæc substitutio, si ille cui fit, per notabile spatium liberatur a sua in-

firmitate. — Resp. II. Substitutio exemplaris exspirat I. Quando ille, cujus substitutus alius est. liberatur a furore, amentia, aut alia infirmitate incapacem reddente ad testificandum. Omnes, textu claro, § 1. Instit. de *Pupill.* ibi: « Sin autem resipuerint, eamdem institutionem infirmari: » Limita nisi statim, vel brevi iterum relabatur in antiquam infirmitatem; hoc enim in casu substitutio non totaliter exspirat, ut bene advertunt Gomez, loc. cit.; Covarruvias, loc. cit. n. 11; Menochius, lib. IV. *Præsumpt.* 50. r. 6; Jason, in l. *Ex facto*. ff. de *Vulg.* n. 43. et communis aliorum. Ratio est, tum ne alias inanis et ludibrosa videatur talis substitutio, arg. l. *Cum aliis*. 6. c. de *Curat. furios.* vel *prodig.*; tum quia in simili casu potius ad tempus cessare, et suspendi, quam extingui censenda est talis substitutio; prout in simili loquitur Justus in l. *Qui res*. 98. § *Aream*. 8. ff. de *Solut.* Quod si tamen furor vel amentia notabile temporis spatium casset, substitutionem penitus exspirare, merito volunt multi doctores apud Ludwel., loc. cit.

591. Præsertim si tempore lucidi intervalli facit testamentum. — Illud certum est, quod si furiosus tempore lucidi intervalli facit testamentum prout potest juxta dicta superius, n. 283. et 286. substitutio exemplaris totaliter exspirat. Mantica, de *Conject. ult. vol.* lib. V. tit. XVI. n. 26; Zasius, ad l. *Ex facto*. ff. de *Vulg.* n. 41; Gilken, ad l. *Humanitatis*. c. de *Impub. et aliis*. n. 54; Ludwell., loc. cit. arg. l. *Ex facto*. 43. ff. de *Vulg.* Ratio est, quia hoc ipso, quod testamentum tale valeat, substitutio ei contraria evanescit.

592. Item exspirat, si amenti postea nascantur liberi. — II. Extinguitur substitutio exemplaris, si post eam furioso nascantur liberi. Schneidew., loc. cit. n. 15; Ludwell., loc. cit. et alii, textu claro, l. *Ex facto*. 43. in prin. ff. de *Vulg.* Nec obstat, quod dicit Zasius, furiosum non gignere liberos; adeoque casum hunc non habere locum: nam contra est, quod quamvis furiosis et amentibus matrimonium contrahere non liceat, contractum tamen ab eis valeat, in eoque liberos habere possint, arg. l. *Patre furioso*. 8. ff. de *His, qui sui, vel alien. jur.* III. Exspirat primo, et quarto modo, quo supra n. 578. et seqq. pupillarem exspirare diximus.

593. Substitutio reciproca, seu breviloqua, que? — Quæritur IX. Quid sit substitutio

reciproca, seu breviloqua? Quomodo fiat? Quos effectus habeat? et quando expiret? Resp. I. Substitutio reciproca est illa, qua testator plures hæredes instituit, eosque sibi invicem substituit. Est in re communis et patetque ex l. *Jam hoc jure*. 4. ff. de *Vulg.* ibi: « Si pater duos filios hæredes instituat, eosque invicem substituat, in utrumque casum reciprocam substitutionem factam videri. » Concordat, l. *Qui plures*. 23. l. *Lucius*. 45. ff. eod. juncto § 1. Instit. Dicitur autem reciproca, quia vere reciproce sibi invicem substituuntur plures hæredes; breviloqua autem, quia brevibus fit verbis, juxta Glossam, in l. *Lucius*, ff. de *Vulg.* §. *Non ad matrem*.

594. Non requirit certam formulam. — Resp. II. Ad hanc substitutionem non requiritur certa verborum formula, potestque variis fieri modis, dummodo reciproca institutio sufficienter percipiatur: sic v. g. erit substitutio hujusmodi; « Petrum, et Paulum instituo pro hæredibus, eosque sibi invicem substituo, » arg. l. *Lucius*, ff. de *Vulg.* Quæ substitutio specialibus verbis expressa dicitur a Covarruv. loc. cit. § 7. n. 2. Item, s. dico: « Titium, et Caium instituo, et Titio substituo Sempronium, Sempronio autem Titium, arg. cit. l. *Jam hoc jure*. Quæ substitutio « singularibus verbis » facta dicenda est juxta citatum Covarruviam. Potest etiam fieri generalibus, ac implicitis verbis: v. g. « Seius, et Caius uterque eorum vivet, hæres mihi esto, prout in his terminis adducitur. l. *Titius*. 24. ff. de *Hæred. instit.*

595. Pro diversitate modi, quo fit, diversas continet alias substitutiones. — Resp. III. Effectus, et vis hujus substitutionis maxime in hoc consistit, quod sub diversitate substitutorum, et modi substituendi, diversas alias substitutiones contineat, earumque effectus participet, Covarruvias, loc. cit. n. 3. asserens id omnium consensu receptum esse. Et inde communiter tenent doctores eam ab aliis non proprie, sed tantum in modo concipiendi distingui. Hinc si fit circa duos hæredes extraneos, continet duas vulgares. Deinde continere potest duas pupillares, quando nempe duo impuberes invicem substituuntur. Potest etiam duas fideicommissarias continere, si verbis obliquis substitutio reciproca fit. Vide de his Covarruviam, loc. cit.; Schneidew., loc. cit. § de *Reciproca substit.*; Menoch., lib. IV. *Præsumpt.* 60; Hunn., p. 4. tit. XX. cap. I. Bartolum et doctores in l. *Lucius*. ff. de *Vulg.*

596. Juxta quarum naturam etiam exspirat. — Resp. IV. Substitutio reciproca exspirat eodem modo, quo quælibet species substitutionis in ea contenta extinguitur, Covarruvias, loc. cit. n. 5. citans Bartolum. in l. *Lucius*. ff. de *Vulg.*, Jason, et Zasius. Ratio patet, quia hoc ipso, quod hæc substitutio a parte re non differat ab aliis, quas continet, utique eodem cum eis modo exspirare debet.

597. Substitutio compendiosa, que? Et cujus effectus? — Quæritur X. Quid sit substitutio compendiosa? Resp. esse illam, quæ verborum compendio plures sub se continet substitutiones, secundum diversa tempora, et ætatem, pupillarem nempe, et pubertatis: prout fit in sequenti substitutione, qua testator dicit: « Filium meum hæredem instituo, et si quandoque decesserit, Caium substituo. » Hæc quidem substitutio erit vulgaris, si filius ante patrem testatorem decedat, si vero mortuo patre supervivat, et hereditatem repudiet, vel adeat quidem, tamen ante annos pubertatis moriatur, erit pupillaris, ita, ut vi ullius non tantum bona paterna sed etiam ipsius impuberis defuncti capiat substitutus. Si potest pubertatem moritur, erit rursus vulgaris, vel fideicommissaria, si verbis obliquis facta est. Si filius incidit in furorem vel amentiam, erit exemplaris. Covarruvias, de *Testam.* cap. XVI. § 9; Schneidew., loc. cit. § de *Compendiosa*; Bartolus, in l. *Centurio*. 15. de *Vulg.*; Hunn., loc. cit. tit. XXI; Menochius, lib. IV. *Præsumpt.* 51. et alii cum Glossa, in c. *Raymutius*. 16. h. t. §. *Si absque liberis*. Differt autem a reciproca quod hæc inter plures sibi invicem substitutos fiat; compendiosa vero, dum unus vel plures sine reciproca substitutione substituuntur. Schneidew. loc. cit. Effectus hujus substitutionis est idem cum effectu illius substitutionis, quam juxta diversitatem temporis repræsentat: unde et eodem cum illa modo extinguitur ob rationem n. præced. de reciproca allegatam. Plura de hac substitutione vide apud legistas præsertim Bartolum, in cit. l. *Centurio*. 15. ff. de *Vulg.*, Schneidew. et Hunn., loc. cit. item apud Covarruviam, loc. cit. Præcipue etiam apud Menochium, lib. IV. *Præsumpt.* 51. et seqq. Explicatis speciebus substitutionis directæ, examinare restat substitutionem indirectam, seu fideicommissariam. Quia vero speciales de eadem difficultates, et amplior materia se offert, specialem sequentem de eadem paragraphum instituire placet.